

TABULA II. Περσικός lunaris in Periodis Calippicis.

Periodi	Anni Period.	Lunaris antioch. puto.
0	19.	o. 1. 28'.
0	38.	o. 2. 55'.
0	57.	o. 4. 23'.
1	76.	o. 5. 50'.
2	152.	o. 11. 40'.
3	228.	o. 17. 31'.
4	304.	o. 23. 21'.
5	380.	o. 29. 11'.
6	456.	o. 35. 1'.
7	532.	o. 41. 52'.
8	608.	o. 47. 42'.
9	684.	o. 53. 32'.
10	760.	o. 59. 22'.
11	836.	o. 65. 12'.
12	912.	o. 71. 2'.
13	988.	o. 77. 53'.
14	1064.	o. 83. 47'.
15	1140.	o. 89. 37'.
16	1216.	o. 95. 24'.
17	1292.	o. 101. 14'.
18	1368.	o. 107. 4'.
19	1444.	o. 113. 54'.
20	1520.	o. 119. 44'.
21	1596.	o. 125. 35'.
22	1672.	o. 131. 25'.
23	1748.	o. 137. 15'.
24	1824.	o. 143. 5'.
25	1900.	o. 149. 56'.
26	1976.	o. 155. 46'.
27	2052.	o. 161. 36'.

TABULA III. MENSIIUM CALIPPICORUM.

Menses Attici.	Mensium modus Calipp.
I Hecatombæon.	29. 1. 12. 44'.
II Metagitnion.	59. 3. 1. 29'.
III Boëdromion.	88. 4. 14. 13'.
IV Mæmacterion.	118. 6. 2. 58'.
V Pyanepсион.	147. 7. 15. 42'.
VI Posideon.	177. 8. 4. 27'.
VII Gamelion.	206. 9. 17. 11'.
VIII Anthestherion.	236. 10. 5. 55'.
IX Elaphebolion.	265. 11. 18. 40'.
X Munychion.	295. 12. 7. 24'.
XI Thargelion.	324. 13. 20. 9'.
XII Scirrhophorion.	354. 14. 8. 53'.
	383. 15. 21. 38'.

TABELLA IV. caracterissimi Periodorum.

Period.	Regul.
1	0
2	4
3	1
4	5
5	2
6	6
7	3

Tabularum usus expeditissimus est. Queratur anno Christi MDCCXIV, quata sit Calippi Periodus. Est hic Juliana Periodi 6337, de quo detractis 4383, reinquantur 1954. Proximè minor in Tabula II, est 1900, cum numero 25, qui indicat Periodos viginti quinque Calippicas jam præterisse, & hunc esse quinquagesimum quartum Periodi 26. Novilunium Hecatombæonis in anno LIV, cepit Julii XI, feria 6, horis 20, 49'. post mediam noctem in prima Periodo; five Julii XII, feria 7. De numero Periodorum, qui est 26, detractis septem omnibus, residua sunt 5, quibus in Tabella IV, caracterissimi respondent 2. Ea ad characterem Hecatombæonis addita dant feriam II. anni LIV. Periodi XXVI, quæ incipit anno Christi MDCCXIV. Fuit enim Cyclos Solis IX, Litteræ in Cyclo Juliano DC. Proinde Julii

XII. fuit secunda feria. At in Gregoriano Cyclo litteræ sunt GF, & Julii XXI. feria item secunda. Quaratur mensis Calippi, qui in Januarium anni sequentis MDCCXV. congruit. Ad Julii XI, fer. 6, 20, 49', accedant 177, 2, 4, 27', qui sunt menses VI, confiet Januarii 5, 2, 1, 16. Ergo anno LIV. primæ Periodi Calippicæ Novilunium septimi mensis, id est Gamelionis, contigit feria 2, hora 1, 16' post mediam noctem. anno verò LIV. Periodi XXVI, deductis omnibus VII, character 2, cum 2, dat feriam IV, characterem * Hecatombæonis in v. Januar. anno Christi MDCCXV. Fuit enim littera B. in anno non castigato: aut in xv. Jan. in anno Gregoriano, littera E. Velim scire quantum Calippica Neomenia celestem, & æqualem moretur. Primum anni 1900, five Periodi 25. Calippica dant Περσικός lunaris dies 6, 1, 56'. Deinde reliqui anni 54. Enneadecæteridas duas completas habent, quibus competunt horæ 2, 55': quæ ad superiores adjunctæ conficiunt dies 6, horas 4, 51'. Tanto tempore novilunium anticipavit ab anno Periodi primæ Calippicæ horis 20, 49'. deducas dies 6, 4, 51', Novilunium medium incidit in Julii 5, 15, 58'.

LIV, qui est Per. Jul. 4437, ad hunc annum Christi 1624. Itaque si de Julii II, 15, 58'. Confer jam exempla Ptolemaica quatuor, in quibus nominatim menses Attici concepti sunt. Omnia cum Laterculo nostro adamassim congruunt, etiam primium, quod numquam Scaliger cum Tabulis suis conciliare potuit. Ideo mendosum esse Ptolemaei codicem temere suspicatus est; sed perperam emendavit. Anno Calippicæ Periodi primæ tricesimo sexto Elaphebolionis Neomenia cecidit in Februarii XXI. Igitur ad Neomeniam Hecatombæonis, quæ Julii 1, feria 1, 11, 42' commissa est, adde menses solidos octo, Neomenia mensis noni, qui est Elaphebolion, accidet Februarii 22, 6, 17, 37', hoc est Febr. Scorpil, anno XXXVI, Per. 1. Calippicæ, Posideonos 17, 26, pro quo perperam in Latino scriptum est XXIII, quod imposuit Scaligero. Erat annus Nabon. 454, Paophi XVI, sequente XVII, hora noctis æquabilis 3, 24 post mediam noctem, κατὰ τὴν verò 3, 0'. Tempus venit nocte quæ inter XX, & XXI. Decembris intercessit. Neomenia Thoth anno illo contigit Novembris v, feria II. Ergo Paophi Neomenia Decembris v, feria IV. Proinde Decembris XX. fuit Paophi XVI. Ptolemaeus dierum initia ab ortu Solis reperit. Instante itaque Paophi XVII. τῆρας accidit; Posideonis XXV, sequente XXVI. Nam Calippicorum mensium dies civiliter ab ortu ad ortum Solis extendit. Quare XXV. Posideonis cadit in XX. Decembris. Hecatombæonis Neomenia commissa est Julii 1, fer. 1, 11, 42'. Additis mensibus v, Neomenia Posideonis incurrit in Novembris XXVI, fer. 2, 3, 14. Itaque XXV. convenit in Decembris XX. Sed μετὰ τὴν usque ad ortum Solis diei XXI. porrigitur. Hæc est vera, & certa Ptolemaici illius exempli ratio, in qua miserrimè implicatus hæsit Scaliger utraque in editione: ubi Latinam editionem secutus Posideonos

bruarii 23, feria 7. Nam epilogismus horarum meridiem excedit, ideoque sequenti feriæ astronomico more tribuitur. Sic anno Periodi I. Calippicæ XLVII, Anthestherionis octavi mensis Neomenia congruebat in XXI. Januarii. Hecatombæon Calippicus iniiit Junii XIX, feria 6, 16, 24'. Adde menses septem, calculus definit in Januarii XXI, fer. 3, hora 9, 35'. Rursum anno eisdem Periodi XLVIII, Neomenia Pyanepсионis, qui est ordine quintus, cepit Octobris XV. Hecatombæon Junii XIX, 4, 1, 17'. Adde menses quatuor, existet Neomenia Pyanepсионis Octobris XV, feria 3, 4, 15'. Hæc igitur tria bellè cum Laterculo concordant. Sed & cum tabulis nostris lunaris, ac mediis motibus egregiè consentiunt, quatenus Calippicus anni modus patitur. Nam novilunium primum ex illis tribus Athenis contigit Februarii 22, fer. 6, 14, 53', 5". Secundum, Januarii 22, fer. 3, 6, 0', 12". Tertium Octob. 15, 3, 0, 30', 41". Postremum exemplum à Ptolemaeo productum, sed temporis ordine primum est ejusmodi. Timocharis observabat Alexandriæ borealem extremitatem Lunæ cum Septentrionali stellarum illarum, quæ sunt in fronte

* Gamelionis. Περσικός.

deonos XXXI. usurpavit pro XXV. Sed nec alii quidam ex hac salebra feliciter emerunt, ut inter alios Buntinghus. Ad eundem verò modum & anno XLVIII. Periodi primæ Luna cum spica conjungebatur septima Thoth, sequente octava, horis 3, 30' post mediam noctem, Pyanepсионis XXV, sequente XXVI, hoc est Novembris IX, Romana, & Attica, & Judaica consuetudine, quæ dies aut à nocte media, aut ab cursu Solis incipit: at ex Mathematicorum illorum instituto adhuc VIII. Novemb. erat. Quæ cum ita sint, miror Nicolaum Mullerum in Tabulis Frificis, pag. 84. observationem illam annu XLVIII. Periodi Calippicæ Novembris VIII, feria VI. defuisse. Debit enim IX, feria VII. constituere: quemadmodum alteram anni XXXVI, quæ Posideonos XXV. contigit, Decembris XXI. reddidit: quæ eodem jure Decemb. XX. tribuenda venit.

Præter hæc IV. exempla, haud scio an ullum exister aliud, in quo menses Attici in Calippica Periodo nominatim exprimentur. Ex illis verò facile colligimus, nequaquam illorum mensium descriptionem popularem fuisse, cujusmodi vulgò in Attica, Gemino teste, servabatur; ut nimirum menses pleni atque cavi alternis sibi succederent. Nam in Periodo Calippica pleni duo se nonnumquam excipiebant; cum horarum, & scrupulorum epilogismus in abaco describerent, ex iisque Neomeniam sequentem uno plerumque die summovent. Nihil autem facilius nobis erat, quam in annis singulis Neomenias mensium omnium in Laterculo concipere, & Scaligerianum typum, cujus errata patefecimus, expungere, si id necesse videretur. Sed operæ huic ideò peperimus, quod ex methodo nostra facillimè quivis id præstare possit; si ad Neomeniam Hecatombæonis ex tabula II. lunares, quot libebit, menses apponat; & quoties horariae fractiones duodecim horas excedunt, diem unum, ac feriam adjiciat ad summam. Ita plenorum, cavorumque mensium ratio constabit.

CAPUT XXI.

De Periodo Syromacedonica Alexandrea. Scaligeri doctrina à pag. 89.

I. PRIMUM ea repetit quæ de duplici Græcorum anno, populari scilicet ac lunari, superiori libro dixerat. Tum quod adjecerat, Calippum duplicem instituisse lunarem Periodum, Solsittialem, & autumnalem: hanc verò Alexandream appellasse. Item Hyperberetæam aquabilem à Macedonibus à IX. Julii ad VII. Octob. esse transfatam, hoc est ex Audynæo factum Hyperberetæam. Græci enim in Macedonia hanc Periodum instaurarunt, quam annis XIX. solidis antea instituerat Calippus. Itaque cum annus illorum à mense Olympiaco inciperet, cujus citima epocha erat in IX. Julii ibi statuerunt Neomeniam Hyperberetæi Periodi, cyclo Solis VI, Lunæ XIII, anno Per. Jul. 4402. Itaque visum Audynæum in Hyperberetæam commutare. Quare Hyperberetæus aquabilis primus Periodi incidit in VII. Octob. quod est κέρτατος μηνός veterum Græcorum. Hyperberetæus verò lunaris in Septembrem: sicut primus Hecatombæon Calippi æquabilis incidebat in 16. Julii lunaris in 28. Junii. Itaque finis anni solaris Syromacedonum incidebat in VI. Octob. ibique intercalatio fiebat: eorumque popularis annus numquam hos fines transibat. unde factum ut Syri incipient annum suum ab Octobri. Judæi quoque illius anni solaris vestigia servant. Quare duplex Periodus Macedonum fuit, æquabilis in Octobri, lunaris in Septembri: cujus Neomenia primo anno incidit in Neomeniam Boëdromionis anni XIX. primæ Periodi Calippicæ, feria v, Sept. VII.

II. Hinc surgit initium celeberrimæ Periodi, quæ metra lunari Syromacedones, Chaldæi, Judæi, Hagareni, & reliqui Arabes usi sunt. Annus embolimus est I, IV, VII, IX, &c. Mensis intercalaris appellatus est Dioscurus. Nam lib. II. Macc. Lyfias anno exLVI, qui verè et. fuit, scribit Judæis, se desideria eorum ab Rege impetraturum. Epistola scripta est Dioscuro mense, qui cum ordinarius non sit, est embolimus. Nam & annus iste embolimus est, nempe LXXIV, & ratio nominis respondet, Dioscuro, quasi geminus. Postquam Lyfias.

fias impetravit ab Rege postulata Judæorum, rescripsit Rex mense Xanthico. En intervallum inter Autunnum & Xanthicum, & quidem longè ante Xanthicum. Non enim tam repentiò ea impetrari potuerunt. Retinuerunt igitur Syromacedones veterem situm embolismi in mense brumali, qui responderet Posideoni Attico, & Tebeth Syriaco.

Mafius mensent illum geminum Teboch nominat; putatque menses Syrorum Christianorum merè lunares esse. Ait se reperisse scriptum, Bar Cepha decessisse anno Alexandri 1224, die XIII. Scēbat, Sabbato. Sanè is erat annus Christi 913. cujus XIII. Febr. erat Sabbatum. Mafius tamen putat annum illum fuisse 914, & Scēbat illum lunarem.

Hæc igitur est Epocha Alexandri Terik dilkarnaim, δὲ κέρτατος. Porro Syri Christiani ab Octobri hanc incipiunt; ob κέρτατος in VII. Octobris: Arabes à Septembri.

Sequitur tabula Periodi Syrorum Alexandræ à Cyclo 13. iniens, cujus Neomenia prima incipit à VI. Sept. feria v, cum κέρτατος ἡμερῶν 31.

CAPUT XXII.

Elenchus Periodi Syromacedonum, quam nullam in rerum natura fuisse docetur.

NEMINEM esse confido, qui à nobis disputata legerit, qui non meras esse fabulas intelligat, quæ de variis annorum Periodis, tamquam certa, & indubitata ponuntur à Scaligero. Illud enim plane, ac circa hæsitacionem ullam insciamur, quod tamquam ἀντιστοιχίαν ἀρχαίῳ usurpat: ullam à Syromacedonibus, aut Macedonibus ipsis Periodum, ex Calippica præfertim institutione, receptam fuisse; five Tetraëtericam, quæ commentitia est; five lunarem; cum per Ogaëterides civilia tempora, non per LXXVI. annorum Periodum, decurrerent. negamus præterea Periodum ullam Alexandream appellatam, aut eo nomine à Calippo consecratam. Quo enim vel levissimo id argumento iustificat? De Hyperberetæo, libro superiore constitutum est, non ipsum Hecatombæoni, sed Boëdromioni respondisse: neque verum esse, Macedonas Periodum Olympiicam in usu civilium annorum habuisse quandoquidem nulla Macedonibus aut Elidenfibus ejusmodi cognita Periodus fuit, quam soli post Calippum Astronomi in suis observationibus adhibuerunt: Græciæ populus, maximèque omnium Athenienses, non Periodo Calippica civiles ad annos usi sunt; sed ex Calippi præscripto populares annos, atque Ogaëteridas emendare potuerunt, ut ex Gemino supra demonstratum est. Quinetiam scitum illud est de traducto anni Calippici capite à Solsittio in autunnum: quod numquam Calippus instituit; cujus Periodus à Solsittio incipiebat, non ab autumno; sed nec alius quispiam Calippicam istam Periodum immutavit, aut eam inchoavit aliunde. Quid plura? Jam hæc sæpius, quæ de usurpata Calippica per Græciam Periodo, deque Tetraëteridum, & aquabilium in ea descriptione mensium, ac ceteris id genus affirmat Scaliger, evertimus, penitusque disjecimus. Dixi non semel, & dicendum adhuc est, Calippicam Periodum non alio anno, quam eo, qui ante mortem Alexandri septimus est, Periodi Julianæ 4384, ab Solsittiali mense lunari initium duxisse. Quod in annum ab illo nonum decimum, & ab Alexandri obitu duodecimum, initium ejus Periodi, five Tetraëtericæ, quæ nulla fuit umquam; five lunaris, quæ sola fuit, dilatum sit, & à Macedonibus in Syria ab anno Periodi Julianæ 4402. repetitum: id tam falsum, & commentitium est, quam est certum nullam ejusmodi Periodum à Calippo fabricatam Syros, aut Judæos, aut Hagarenos, aut Chaldæos adhibuisse. Nam epocham, five æram, ut diximus, ab anno illo Periodi Julianæ 4402. Syromacedones arcescebant: sed sine Calippica Periodo. Atque hæc abundè toto primo libro consutata sunt; & deinceps identidem perstringentur. quod ideò sæpius facimus, quoniam inter prima doctrina Scaligerianæ velut elementa principem locum tenet Calippicæ Periodi, tam Tetraëtericæ, quam lunaris ad omnium usum nationum accommodata dispositio. Ob id non raro tante falsitatis, & commenti pertinacissimi lector adducitur.

monendus est, quod nulla soliditate, neque similitudine veri ulla, aut certa aliqua ratione, sed solo auctoris arbitrio, ac libidine continetur.

Ab communibus istis, & conviciis haecenus Scaligerianis erroribus, ad ea nos examinanda conferemus, quae sunt hujus capituli, ac Syromacedonicae Periodi propria quae & ipsa contrarietibus, & absurditatibus sunt repleta. Harum illa prima fit, quod Hyperberetaum mensum in Audynai locum involasse dicit, qui fuerit Octobris VII. adeo ut cum Audynai aequabilis, ac Tetraeterici primi Neomenia in VII. mensis illius caderet, eò translata sit Hyperberetai Neomenia. Alibi verò, uti lib. V. pag. 400. eandem illam Neomeniam Octobris VIII. constitutam docuit proxime post *κέντρον μεταπέμπου*. Idem pag. 397. scribit cap. de Periodo Calippi. Hæc invicem adversantur; nec ambo vera sunt. Sensit hanc *δυσωρίαν* Scaliger. Itaque in calce operis pag. 740. addenda quaedam notavit ad ea, quae lib. II. scripserat pag. 91. ubi docuit Hyperberetaum primum Periodi Calippi Syromacedonicae, ac Tetraetericæ cepisse Octob. VII. *Sed hæc ita fuerint, ait, siquidem Calippi annum Tetraetericum reformatum sequamur. Alioquin Hyperberetaus Olympicus cepit VIII. non VI. Octobris, ut libro IV. explicatur.* Quibus verbis nullas subest idoneas sensus: neque ad excusandum *έναντιον* vel pusillum conferunt. Nam quis tandem est annus ille reformatus Olympiadis, hoc est in IX. Julii, anno LXV. Periodi Olympicae, Atticæ XXVII, qui est annus Per. Jul. 4383, cyclo Lunæ XIII, retexuisse veterem situm Olympicae Periodi, tam Tetraetericæ, quam lunaris, & pro anno LXV. Olympicae, & vicessimo octavo Atticæ Periodi, primum annum instituisse suæ. Hoc modo restituisse dicit illum in priscam epocham Olympiæam Neomeniam lunarem, nec non Tetraetericam. Hæc ille libro I. pag. 47 & 48. tum libro V. pag. 397. refert Calippum Tetraetericæ Periodi suæ principium distulisse in annum XIX. ab observatione ista: propterea quod annus ille, quo victoria contigit, & solstitium observavit Calippus, in secundum Tetraeteridos Olympicae cadebat. Unde ut initium Periodi cum anno primo Tetraeteridos congrueret, annos XIX. ad illam inchoandam expectari voluit. Hæc est igitur illa reformatio anni Tetraeterici. non enim alterius mentionem usquam facit Scaliger, ac ne eo loco quidem, ad quem nobis digitum intendit, nempe libro IV. Ibidem porro, in Parapegmata Attico, pag. 233. Periodum Calippicam exhibens, *κέντρον θεμελιόν* in VIII. eid. Jul. constituit: Neomeniam verò citamam Hecatombæonis in VII. eid. hoc est Julii IX. At *κέντρον μεταπέμπου* confert in VII. eid. Oct. qui est Octobris VII: citamam Neomeniam in eisdem VIII. Hæc in Calippicæ Periodi reformatione id ipsum factum esse dico, quod supra è Scaligero protulimus, quodque ipse negavit postea in anno reformato contingere; nimirum ut Hyperberetai Neomenia in VII. non in VIII. Octobris incurrat. Imò, quod amplius est, aliter usurpari non potest, nisi suæ ipsius doctrinæ *έναντιον* volerit. Et sanè sibi in illa castigatione, & annotatione contradicit. Nam solstitialem mensum Tetraetericum & aequabilem, hoc est citamam Hecatombæonem in Attica Periodo, & Hyperberetaum in Macedonia veteri nono Julii cepisse docuit lib. II. cap. de Syromacedonica Periodo: & lib. IV. in Parapegmata: nec non lib. V. cap. de primo Hyperberetao Calippico: ubi ipsissima Calippici anni reformatio describitur. Denique passim illud inculcat; quando Calippus Periodum Olympiæam interpolavit, Neomeniam lunarem in pristinum epocham, id est IX. Julii convenisse, atque in eo die Tetraeterici Hecatombæonis Neomeniam ab illo esse desinam. Hoc ut ita sese habuerit, necesse est mensis quarti Neomeniam, videlicet Pyanepsonis, ut Scaliger existimat, in VII. Octob. incidere: sunt enim tricenarii isti mensis. At verò à IX. Julii ad VII. Octobris dies sunt XCI. Quare mensis quarti Neomenia est ipsa dies Octobris VII, non VIII. Non mediocriter itaque est hallucinatio ista Scaligeri, qui cum affirmet mensum primum in nono Julii cepisse, quartum ab eo scripsit Octobris non septimo in VIII, sed octa-

Scaligeri errorum alio errore castigat.

vo. ita mensis aliquis unum, & triginta dies habuerit. Atqui *έναντιον* dies nequaquam illi ex istis mensibus attribuntur in commentitiâ Periodi Tetraetericæ descriptione, quam libro primo discussimus. Ideò non plures habent singuli quam triginta. Quocirca falsissimum est, quando Hyperberetaus Audynai locum occupavit, id est à veteri epocha solstitiali ad Autumnalem traductus est, in VIII. die Octobris consediisse: alioquin solstitialis epocha X. dies erat Julii, non nona.

Altera contradictio. Scribit hoc in capite pag. 91. Hyperberetaum primum Tetraetericæ Periodi in Octob. VII. convenisse, lunarem verò Hyperberetaum in Septemb. VI. *Quomodo, inquit, primus Hecatombæon Calippi aquabilis inciderebat in XVI. Julii, lunaris autem in XXVII. Junii.* Neutrum verum est. De Hecatombæone valde mirum. Popularis, & aequabilis Hecatombæon in Periodo Tetraeterica non nisi anno XVI. & XXI. in Julii XVI. diem incidit ex opinione Scaligeri, anno verò primo in Julii IX. cadebat, ut sæpe dictum est. Etenim lib. I. pag. 47. Calippicum Periodum aquabilem inchoatam scribit anno Iphiti CCCCXLV, exequit Per. Jul. anno 4383. Tum verò Neomenia Hecatombæonis Tetraeterici ab eodem fixa est in veteri cardine, Julii nono, in quo utraque Neomenia concurrat. Ab hoc anno, dieque Tetraetericam Periodum in VIII. nec non lunarem solstitialem, ibidem, & in II. libro tradidit, ut nos antecedenti capite ex eodem Scaligero diximus, anno sequenti Periodi Jul. 4384. captam putat lunarem Periodum alteram, quam *πρωτογενή* vocat; cujus Neomeniam primam confert in XXVII. Junii, sed eodem anno Neomenia Hecatombæonis Tetraeterici in V. Augusti congruit, cum anno primo Julii, ut dictum est, nonum occupasset: siquidem intercalatum est anno primo, ne anno sequenti Hecatombæonis Neomenia ante nonum Julii diem incurreret. Rursum anno XI. post Alexandri mortem, Per. Jul. 4402, Periodus Calippica novum exordium habuit, ut alio loco Scaliger dixerit, & pro solstitiali mense, id est Hecatombæone Attico, Hyperberetao verò Macedonico, mensis autumnalis primus constitutus est, qui erat Atticus Pyanepsonis, Macedonici autem Audynæus: pro quo Hyperberetaus substitutus est. At hoc ipso primo anno Hecatombæon, & Hyperberetaus Julii nonum diem obtinebant. Nam si ita foret, Octobris septima dies Pyanepsonis, vel Audynæi Tetraetericorum mensium sedes minimè fuisset: fuit autem, ut plenis paginis ostendit Scaliger. Proinde non in XVI. Julii, sed in IX. primus Hecatombæon constituit in Calippi Periodo. Ceterum si posterius hoc initium Tetraetericæ Periodi in anno Per. Jul. 4402. statuatur, anno 4384. non primus numerabitur ejusdem Periodi, sed XIX. & *αεθλίου*. quo quidem anno Neomenia Hecatombæonis aequabilis XIV. Julii convenit, non XVI: Pyanepsonis verò, sive Audynæi, Octobris XII. Atqui nullus alius annus est primus Periodi Tetraetericæ Calippi, nisi qui in nono Julii, & Octobris VII. Neomeniam habet aequabilem. Vehementer igitur doctrinæ suæ repugnat Scaliger, nec ulla probabilis ratione ab hallucinatione vindicari potest. Facessant itaque nugaces illæ Periodi, quæ nullæ unquam in rerum natura fuerunt. Nam populares, ac Tetraetericæ penitus confictæ sunt: lunaris autem una, simplèxque fuit, solis Astronomis cognita, ab anno cæpta Per. Jul. 4384. Syromacedones vestri, Hagareni, Arabes, Judæi, Chaldaei, nullam unquam istius generis Periodum amplexi sunt; sed titulos dumtaxat, epochâque temporum certis ab annorum capitibus dixerunt: uti nos à natali Christi tempora computamus, neque propterea certa aliqua definitaque Periodo constringimur. Quare nullam rationem habebimus Periodi Syromacedonicae, cujus latet culum hoc in capite proposuit, quoniam tota illa commentitia est.

Postremò de embolimo mense levis est Scaligeri conjectura, qui sedem illius falsa ratiocinatione conjectatur, ex Machab. lib. II, ubi Lyfias anno Græcorum CXLVIII. Judæis scriptis dicitur mense Dioscoro. Hunc embolimam fuisse conjicit ex eo, quod Dioscorus, quæsi geminus appellatur. Deinde quod annus ille revera sit Græcorum centesimus quinquagesimus, hoc est secundæ Periodi septuagesimus quartus. Quæ duo argumenta falsa, prius etiam jocularia est, & risu dignum. Neque enim mensis intercalaris diverso apud Græcos, & Judæos

& Judæos nomine censetur; sed eandem cum ultimo appellationem habeat, adjecta dumtaxat secundi nota: ut Adar II, *Προτιδών δεύτερος*. Annum verò negamus illum fuisse centesimum quinquagesimum, aut Periodi ullius nexibus adstrictum. fuit enim centesimus quadagesimus octavus à Tifri; unde Syromacedonum annus exordium habuit: quod quidem suo loco demonstrabitur, & in eo Scaligerianus error minimè vulgaris aperietur. Præterea situm embolimi mensis haud certo conjectura confert in brumale tempus: quoniam Xanthico mense Rex Antiochus scribit ad Judæos; quod credibile putat longo post Dioscorum, id est embolimam mensum intervallo contigisse. Intercalam est igitur, inquit, inter Autumnum & Xanthicum, adeoque in mense brumali; hoc est longe ante Xanthicum. Sic adbatatum more in divinationum suarum, nugarumque tenebris conficitur Scaliger. Nam quæ tandem est illa collectio? Dioscoro mense scripta est epistola; est autem hic embolimus mensis. Hoc si negatum fuerit, uti fit à nobis, verbum ultra non addet. Atque ut alia prætulerit, certè Syromacedonibus annum popularem, non lunarem assignat Scaliger, sed aequabilem, ac Tetraetericum. Quis autem aliud mensis, annive genus epistola sua subscripsisse Lyfiam putet, quam civile, ac populare? Atqui civile, & Tetraetericæ Periodi septuagesimus quartus annus simplex, non embolimus fuit. Non enim intercalatur in Periodo Tetraeterica nisi octavo quoque anno, ut in libro I. docuit. At Octaeteridis ultimus non est annus septuagesimus quartus. Debit ergo validum aliquid, & indubitatum *πικρότερον* asserere, quo Lyfiam in epistola illa demonstraret lunari Periodo, & solis, ut ipse vult, Astronomis, ac peritis cognita, & ejusdem modi mensibus usum fuisse; non autem civilibus, ac vulgo cognitis. Est enim perinde, ut si quis hodie principis, puta Christianissimi Rex, aut summus Pontifex, in Diplomate, vel rescripto suo mensis lunaris diem, non civilis adscriberet. Exempli causâ, datum sit Diploma Martii XXI. die, in quem commodum decima quarta lunaris mensis, ac Paschalis dies incurrat; quis hoc tempore Franciæ Rex ita subscribit; *Datum decimo quarto die mensis prioris?* Nonne id absurdum, & abhorrens videatur, si publicum decretum, & ad vulgus editum temporis nota illa consignetur? At eandem proflus *αλογορίαν* committit Scaliger. Hujus enim ea est opinio, civiles ac vulgo cognitos, usitatoque mensis Syromacedonum non lunares fuisse, sed aquabiles, & tricenarios: quod hoc ipso capite, pag. 91. initio scribit: pag. item 96: tum lib. V. cap. de primo Hyperberetao Alexandro pag. 399. Quare non alio genere anni vel mensis, siquidem compos sui Lyfias erat, in rescripto illo uti debuit. Denique vehementer hallucinatur in eo ipso, quod Xanthicum, cujus in altera epistola mentio fit, ejusdem anni credit esse, cujus Dioscorus fuit. Nam alterius anni revera fuit, nempe centesimi quinquagesimi. Sed hæc uberioris loco illo Tomi II. pertractavimus.

Tabulam Alexandræ Periodi ideò prætermissimus, quod hæc tota Periodus commentitia sit, ut supra ostendimus.

DE PERIODO CHALDÆORUM ALEXANDREA.

CAPUT XXIII.

Scaligeri commenta reselluntur utraque in editione tradita.

Scal. p. 54.

Quod in ceteris ferè omnibus populis instituit Scaliger, ut eos Calippica Periodo tempora sua dimensos esse velit, id ipsum & in Chaldaeis fecit. Hos enim censet, cum hæctenus lunarem annum sine ulla peritia fideris observarent, & *ζωή τὴ φάστος* novilunia cognoscere, postea Periodum Alexandream à Græcis esse perdoctos, quam deinceps usurparunt, eandem cum Syromacedonica, quod ad anni contextum, & embolimæos annos attinet: sed uno anno tardius, quam illi, coperunt, videlicet ab anno Per. Jul. 4403. Tum embolimam mensum, non, ut Syromacedones, sextum à solstitiali mense, sed ultimum anni, id est proximum ante Hyperberetaum esse voluerunt. Quod ita demonstrat Ptolemæus lib. XI, cap. VII, scribit anno Chal-

dæorum IXXXII, Xanthici V, Solem medio mota tenuisse Piscium gr. 6, 10'. contigit hoc anno Per. Jul. 4483, Kalendis Martii, feria IV. Igitur Xanthicus quatuor diebus ante Kal. Martias iniiit. Est autem is septimus mensis Annus ille fuit septimus Periodi secundæ Syromacedonicae, & quidem embolimæus. Si igitur septimo mense nondum est intercalatum, id utique in anni sine factum est; atque adeo Gorpiaus intercalaris fuit. Ceterum cum Syromacedones, quemadmodum Græci, duplicem haberent annum; alterum popularem, qui erat aequabilis, ac Tetraetericus; alterum lunarem; Chaldaeos solum usurpasse lunarem existimat Scaliger. Sed omnia ista de Chaldaeorum anno disputatio mera commenta, & *ἀλλόγως* *έναντιον* sine ulla probatione continet. Illud unum è Ptolemæo constat, quia à Ptolemæo memorantur, civiles fuisse, & Astronomicos dumtaxat esse definit, cujusmodi erant anni Philadelphii Dionysiani. Nihilominus Periodum Syromacedonum Astronomis illis attribuit. Nos verò, qui Syromacedonum nullam fuisse Periodum ejusmodi scimus, qualem Calippus edidit, neque in illorum annis aliud præter epocham, & initium observatum; commentum istud vanissimis è conjecturis exortum rejicimus. Quod enim Chaldaeorum anni nulla Calippica Periodo circumferrentur, inde concludi potest; quod Ptolemæus, qui cum Calippicos annos ex veteribus Astronomis commemorat, quora sit Periodus, & quotus ejus annus, accuratè meminit; in annis Chaldaeorum percentendis nihil ejusmodi facit: imò verò secundum, & octogessimam annum Chaldaeorum citato illo loco nominatim exprimit, pro quo utique secundæ Periodi sextum annum nominari oportuit, si ullus septuaginta sex annorum orbis ab illis observatus esset. Quamobrem Chaldaeorum anni isti lunares citra Periodum Calippicam à Macedonibus, opinor, ac Græcis Astronomis, qui in Babylonia degabant; vel à Babyloniis ipsis, qui Macedonum jugum receperant, usurpati sunt, cum Macedonicis mensium vocabulis: quorum ab eo tempore datum putamus initium, quo Seleucus Babyloniorem imperium iniiit. Utrum autem ab autumno, an à vere, aut solstitio iidem anni ceperint, asserere non possumus. Nam de autumno, quod definit Scaliger, ut non improbandum, ita nec sine cunctatione pronuntiandum iudico. De embolimo verò mense proflus arriolatur, & paralogismo se suo traducit. Primum enim falsum est Chaldaeos aut Syromacedonas Periodum ullam Calippicam habuisse, quo fundamento nititur Scaligeriana ratiocinatio. Deinde quamvis de Periodo concedamus, non sequitur iidem penitus annis intercalasse Chaldaeos, quibus Syromacedones solebant. Tum quod Syromacedones anno primo Periodi commentitiæ intercalasse perhibentur, id est confictum. Ad hæc quæ *έναντιον* est illa collectio! In Xanthico, qui est septimus mensis, nondum erat intercalatum: ergo Gorpiaus intercalatus est. Quid si enim in Artemisio, proximè ante Desium, id ipsum affirmemus esse factum? quo nos argumento convincet?

In Chaldaeorum denique periclitanda Periodo methodus illam sua fœdissime destituit. Tria sunt exempla, quæ ex Ptolemæo profert; quorum unum dumtaxat congruit, anni Chaldaeorum IXXV, in quo XIV. die Dii mensis Octobris XXX, sol deprehensus est in 5, 10' Scorpil. Neomenia Dii incidit in Octob. XVI, quo die representatur in anno LXXVI. Periodi Syromaced. Neque id mirum. nam recenti adhuc anno Syromacedonum, Neomenia lunares mediis Lunæ motibus respondebant. Illud verò ad commentitiam illam methodum redarguendam imprimis efficax, quod in duobus aliis exemplis non eadem est Periodi fides. Anno Chaldaeorum IXXVII, Apellæi V, Sol in XXIV. 50' Scorpil. reperitur est, anno Nabon. DIV. Thoth XXVII, anno Per. Jul. 4469, Novembris XVIII, feria I, cyclo Solis XVII, lit. A G. Si Apellæi V. convenit in Novembris XVIII, feriam IV, videamus equid è Tabula Periodi ac methodo character idem possit erui. Annus hic erat Periodi Syromacedonum IXXVII, cujus Hyperberetaus iniiit XV. Septemb. Characterismus anni VII, cum regulari

Apellai III, dant feriam III, non IV. Itaque error est, inquit, in codice Ptolemai, qui v. Apellai dixit pro VI. Ridiculè. Cur non enim methodi sua, ac Periodi errorem potius accusat? Aliud exemplum: Anno Chaldaeorum LXXII, (ait Ptolemaeus lib. XI, cap. VII,) Nabonaii. Tybi XIV, Xanthici V, Sol medius deprehensus est in 6, 10' Piscium, anno Per. Jul. 4485, Kal. Martii feria IV; cyclo Solis V, lit. B. A. Ergo Neomenia Xanthici contigit Februarii XXV. Hyperberetanus anni illius, qui est LXXXIII. Syromacedonicus, sive VII. Periodi secundæ, contigit Augusti XXXI, feria III, anno Per. Jul. 4484, quæ cum regulari Xanthici II, dat feriam V. Neomenia Xanthici. Ideo contigerit Februarii XXIII, sive XXIV. anno bisextili, VII. die ante Kal. Biduo ergo methodus abhorret ab observatione. In hoc exemplo cum Scaliger hallucinatus esset lib. II. de Emend. postea in lib. V. pag. 407, & in erratis, ita castigavit, ut Ptolemaei codicem culparet, in quo Xanthici V, pro VII, scriptum esset. Sed facile est hac excusatione quemlibet errorem etiam manifestissimum, certissimumque defendere. Proinde nos methodi vitium incusamus potius, ac temeritatem hominis, levitatemque castigamus, qui falsas sibi Periodos confingens quæ veterum loca cum illis in concordiam adduci nequeant, ea corrupta esse sibi persuadet.

Ac de mensibus quidem Chaldaeis istis, magna suspicio est, eorum Neomenias non à Luna iugo, sed à *ἡμέρας* & *ἡμέρας* plerumque cœpisse. Nam in exemplo tertio, Neomenia Xanthici convenit in Februarii XXV, qui est XXVI, bisextili comprehenso: qui dies Thoth X fuit, ut postulat ratio. An novilunium medium incidit in XXV. Februarii, feria V, hor. 4, 47', 39", in Horizonte Regionomontano. Erat annus bisextilis. Ideo in bisextilem ipsum diem Neomenia convenit. Hujus syzygiæ sextus dies fuit Cal. Martiæ. Itaque Neomenia Xanthici altero die post Neomeniam accidit.

Sic anno Per. Jul. 4469, novilunium commissum est Novembris XII, feria II, hora 22, 1', 29", hoc est Novembris XIII, feria III. At Apellai V. cadit in Novemb. XVII. Igitur altero ab Neomenia die iniiit Apellaius. Tertium exemplum magis ad medios Lunæ motus, & tabulas nostras congruit. Siquidem anno Per. Jul. 4477. novilunium Octob. XV, feria V, hor. 21, 58', 50". hoc est Octob. XVI, feria VI. Proinde XIV. Diu lunaris XXXIX. Octob. competit. Apparet iis ipsis exemplis, quæ ad Periodi suæ fidem adducuntur à Scaligero, vanam illius hypothefin esse, dum annus Syromacedonicus, qui ad motus medios exigitur, & Calippicus ponitur, Chaldaeis attribuit, quorum Neomenia sunt dissimiles.

In Edit. 1. P. 72.

Nunc ea perferentur, quæ in editione prima de Chaldaeorum anno disferit. quæ quidem valde dissentanea sunt posteriori doctrina, neque minus absurda. Chaldaeos ait annum lunarem adhibuisse, in quo mens intercalaris Teboch, qui & Dioscurus. Is non eundem situm perpetuo retinebat, sed desultoris instar primum ante Tifri ponebatur. deinde Tifri inter, & Marcheswan. postea anno octavo inter Marcheswan & Tebeth. anno undecimo inter Tebeth, & Schebat. Ita per totos menses vagabatur embolismus, donec duodecim cyclis absolutis, Teboch ad primum mensem rediret anni tertii. quæ Periodus erat annorum CCXXXIII. Hac Scaliger mira, ut solet, confidentia: quæ sunt inanissima bonæ mentis; & ab auctore ipso posteriore iudicio damnata. Ea verò unde tandem expulsa esset, aut cur ita illi venisset in mentem, admonere ipse debuerat.

P. 75. Edit. 1.

Sequitur apud eundem: Omnes nationes Orientales, quæ anno lunari utuntur, epilogismos lunares ordiuntur à Libra. Falsum. Arabes annum lunarem complexi sunt. neque tamen à Libra cœperunt. Sed nec Japonenses hodie; nec Indi, ut Scaligero placet, lib. II, & III. Ifag. Can. Conjectura verò, quam assert, cur ab autumno cœperint, ridicula est. Quoniam, inquit, à principio Libræ ad principium Arietis non majus intervallum est, quam à Neomenia Tifri, ad Neomeniam Nifan, nempe dierum 178. Quis credat? A Neomenia Tifri ad Nifan dies sunt non amplius 177. cum horis 4, 438', ex Judaico calculo. A Libra ad Arietem dies 178, hora, ut Alphonso placet, 5, 40'. Quare neque verum est *μὴν ὅμοια* de initio lunaris anni ab Autumno: neque solidior ejus ipsius commenti ratio, de qua tantopere sibi

placet, quàmque ab Europæis nondum investigatam esse dicit, quamvis divina propè ingenia in astronomia pepererit Europa.

CAPUT XXIV.

De Periodo Judæorum Alexandria Scaligeri doctrina.

VETERES Judæi lunares Neomenias *ἡμέρας* & *ἡμέρας* denuntiare consueverant. Nam speculatores delectos adhibebant, qui nascentem Lunam observarent. cujus renunciata visione, statim ipsam tubæ clangore indicabant. Unde factum est, ut persæpe duo menses nunc cavi, nunc solidi continuarentur; pro ratione *ἡμέρας* & *ἡμέρας*, aut *ἡμέρας* & *ἡμέρας*. Hoc verisimile est in vetustissimis Hebræis locum habuisse, quibus adhuc ratio motus & curvæ lunaris ignota erat. Non enim poterant, nisi ex observatione, suas Neomenias in vulgus publicare. Sed hoc magis inter judices ipsos, quàm apud populum obtinuisse videtur. Quare longe ante tempora Messia designatam in libris formam habuerunt, ut hodie Judæi, & Samaritani.

Jam verò simul cum iugo Seleucidarum Judæi ipsorum annum, & epocham acceperunt, idque *ἡμέρας* & *ἡμέρας*, non ut Hagareni *ἡμέρας* & *ἡμέρας*. Est enim eadem Periodus Macedonica, Chaldaica, Judaica. Periodi principium erat VI. Octobris. Quatuor enim quadrantes erant, quas Tekuphas vocant, sive puncta ipsa, & cardines. Itaque Tekupha Tifri erat in VII. Octob. Tekupha Tebeth, in VII. Januarii. Tekupha Nifan in VIII. April. Tekupha Tamuz in VII. Julii: omnes in littera G.

Per idem tempus annorum varietates, ac discrimina servabant; ut communes, aut embolizati alii essent ordinarii, alii abundantes, alii defectivi. quæ differentia nate sunt ex Judaica superstitione, propter feriarum delectum. quatenus Tifri nunquam feria I, IV, aut VI. inire debuit. Nifan verò nunquam feria II, IV, VI. Quæ omnia postea declarabuntur.

Hac anni forma Judæi usque ad Constantini tempora, & infra illa sunt usi, cum jam Luna biduum veterem epocham antevertisset. & hanc quidem epocham *אָרַם* aram contractuam appellarunt.

CAPUT XXV.

Elencus Periodi Judæorum Alexandria, tum quod Judaicam Periodum nunquam usurpaverint.

DE veterè Judæorum anno paulò post ex illorum commentariis agitur. Nunc illud excutiendum est, quod Scaligero placet; Judæos ante Christi tempora Seleucidarum annum accepisse, hoc est Calippicum anni formam; quod neque verum est, nec Hebræorum auctoritati consentaneum. Etenim Judæi ipsi, ut postea futius explicabitur; maximeque R. Moses in I. Parte Jad, auctores sunt, stante adhuc templo lunares Neomenias ex visione sideris, ac secundum veros motus fuisse definitas: postea mediorem motuum rationem obtinuisse. Atqui Calippica Periodus medios Lunæ motus observat. non igitur in usu fuit ætate Christi, nec ante templum eversum esse potuit; si Hebræis credimus. A quibus cum hæc omnia didicerit Scaliger, eorumque testimonio fretus totam illam Neomeniarum observandam, atque indicandarum rationem statuerit, cur ab iisdem hæc in parte discedit, quod illi tamdiu hoc institutum perseverasse censent, quamdiu synedrium in Palæstina fuit: Scaliger longè ante Christi tempora ritum illum exolevisse scribit, ejusque loco Calippicam Periodum adhibitam annis amplius recentis, quàm Christus naseeretur?

Quoniam porrò ex scriptore? cujus auctoritate ac testimonio fretus Calippicam à Judæis Periodum vel admittam unquam, vel tanto ante Christum receptam asseruit? Non illud insisto, non consistare quidem istud, utrum Judæi præcis illis temporibus lunares motus ad civilem annum, aut solemniis suorum celebritatem adhibuerint, de quo postea. Sit illud in confesso positum, lunarem annum tenuisse Judæos. Quid tum? Idcirco ne ex Calippi methodo, ac Periodo statim usurpasse necesse est potius, quàm ex Hipparchi castigatiore forma, vel

vel altera minus accurata; quæ à veris, mediisque motibus aberraret? Cujus enim istud licentia est, Calippicam Periodum Syris, Macedonicis, Græcis universis, Judæis, Chaldaeis, Hagarenis, omnibusque populis, ac nationibus aspergere; cum hoc ne levissima quidem veteris scriptoris voce, ac testimonio comprobetur? Cedo enim ullum ex omni antiquitate, qui id non dicam expresse, ac diserte scripserit, sed veterrimam hujus rei significationem dederit.

Ac si quis diligenter omnia perscrutetur, nullam aliam rationem expedit, propter quam in animum induxerit Scaliger Judæos Calippicam Periodum acceperisse, nisi quod Græcorum annis usi fuerint: quemadmodum Macedoniarum scriptor, Josephus, & alii, qui Judaicas res scriptis attigerunt. Verum nequaquam ex eo sequitur Calippicam anni formam, multo verò minus Periodum adoptasse Judæos. Primum quia falsum est Syromacedonas Calippicam Periodum usurpasse; quam soli Mathematici complexi sunt, idque ab eo arino, qui Alexandri victoriam proximè est secutus, Per. Jul. 4384, Græcorum autem anni à 4402. incunt, qui Periodo nulli devincti sunt, nedum Calippica, quam isti penitus ignorarunt. At Sabini quod volunt somniant. Ita Scaliger ubique Calippicam illam Periodum obtrudit. Deinde quantumvis Syromacedonas, ac Græcos omnes Calippica Periodo usos esse velimus, quod est, uti dixi, falsissimum; statimne verum est Judæos eundem animum ad Periodum observasse? Etenim titulum quidem ipsum, atque epocham annorum eandem cum Græcis tenere Judæi, quoties Græcorum res gestas, vel suorum cum Græcis implicatas describerent; non propterea tamen parem, atque eandem cum illis anni descriptionem ad civilem usum accommodaverunt. Ita enim sese res habet, ut si quis modò Gallus, aut Italus Turcicas res historice commendans per Hegiræ annos tempora dinumeret; aut alterius gentis annales scribens propriis illius temporibus utatur, non ob id statim concludi potest, Italos, vel Gallos Hegiræ annos, vel alteram illam, quam Scriptor iste sibi proposuerit, domi formam obtinere. Ad eundem itaque modum Judaici scriptores Græcorum epocham Græcis in rebus perscribendis fecerint: neque propterea colligi potest, illorum anni rationem; aut, quod à veritate est alienius, Calippicam Periodum recepisse. Ab iisdem fontibus & illud commentum profuxit: Epocham anni Judaici veteris, ut & Syromacedonici in Octobris VII. fuisse desinam. Quam opinionem peperit absurda illa, & commentitia anni Græci descriptio, quæ à nobis est superiore libro refutata. Quod enim sibi persuasisset, popularis Græcorum anni cardinem in VIII. Julii consistere, ac citimam Neomeiniam ejusdem mensis non convenire, quo die primus annus Iphiti cœperit; constitutus deinde tricenariis mensibus, eò rem deduxit; ut autumnalis mensis, quem Pyanepsonem vocat, in Octobris VII. incurreret. Unde cum instauratam à Calippo veterem illam formam exliminaret, non dubitavit quin Pyanepsonis civilis Neomenia commodum in Octobris septimum incidisset, quo ex die Periodum suam illum inchoasse dixit. Quam in ratiocinatione quam vana, & conficta sunt omnia, puto abundè hæcenus esse monstratum. Cujus enim iudicii est, ut de anni Græci fabula modò taceam, epocham anni civilis veteri illo cardine continere? Nam ut Iphiti sæculo observatam esse concedamus; propterea quod Sostitium tunc ferè in Kal. Jul. incidere, tamen ubi à Metone Calippoque Sostitium in XXVII. Julii die deprehensum est, si ab octava parte popularis annus inchoari debuit, in Junii V. collocandum ejus initium fuit, non in IX: quod jam obsoleverat præsertim cum, ut idem Scaliger putat, Calippus anni primordium non in octava parte Cancri, sed in ipso die Sostitii posuerit. Ex quo fit, ut anni cardo XXVII. Junii diem occuparet.

Accedit & Scaligeri ipsius inconstantia, qui cum hoc libro, & superiore definiere, anni Syromacedonici principium in VII. diem Octobris cadere; ita ut postremus dies esset Octobris VI, quod pag. 91. diserte scripsit; in libro tamen V. pag. 339, & alibi passim ultimum diem anni solaris Octobris VII. fuisse docet, & initium in VIII, de quo antea pluribus actum est. Sed negamus anni Judaici solaris epocham illo die affixam fuisse, quod postea videbimus; ex quo ceteræ omnes epochæ, sive Tekuphæ corrumpunt, quæ falso illo funda-

mento muniuntur.

De translatione feriarum, ac recentiori illa Judæorum superstitione dicitur postea. Ostendemus verò vel Judæis ipsis testibus, stante adhuc Templo, imò post eversum Templum; quamdiu *ἡμέρας* & *ἡμέρας* Neomeinias indixerunt, ac per præcones denuntiarent, nullam istiusmodi translationem apud Judæos obtinuisse. Et verò nullam à Scaligero profertur argumentum, testimonium nullum, unde constare possit translatas olim fuisse ferias, aut reliquam omnem superstitionem illis temporibus esse constitutam; nam quæ ad illud efficiendum attulit, credi vix potest quantam hominis oscitantiam arguant.

CAPUT XXVI.

Refelluntur exempla, quibus commentitia Periodus illustratur. Josephi præerea, Calypsi, & aliorum hallucinatio.

DUO sunt exempla, quibus translationem feriarum in usu quondam fuisse demonstrare conatus est Scaliger. Quibus alia tria subiunxit, ut Periodi suæ, tabulæque periculum faceret; atque illius contextum ostenderet eum veterum scriptorum testimoniis omni ex parte congruere.

Ut à prioribus exemplis duobus ordiar: Anno, inquit, Passionis Dominicæ, Nifan incidit in Sabbatum, cum tamen in feriam VI. conveniret. nam character ejus ex hodierno epilogismo est 5. 19. 95'. feria VI. Erat annus contractum, sive Alexandreus cccxlv. & anteinde XI. Periodi quinta, Tifri xxiv. Sept. feria IV, quæ in anno communi ordinario dat feriam VII. Neomeiniam Nifan. Igitur translata Neomenia est in Tifri à IV. in V. & in Nifan à VI. in VII. Sed hæc ratiocinatio duo velut confessa, exploratæque sumit, quæ à nobis magno negantur: Alterum, passum esse Christum anno Juliano LXXVIII, Æræ Dionysianæ XXXIII. hic enim est annus ipse, cui characteres conveniunt. Atqui non huic anno, sed alteri, ex opinione nostra tribuenda Passio est. De quo in animadvertionibus ad Epiphaniam diligenter egimus, & Tom. II. lib. III. postmodum agitur. Alterum, quod velut ratum, ac certum usurpatur à Scaligero, Periodus est Alexandria, quam ætate Christi receptam à Judæis existimat. hoc verò falsum esse patulò superius vidimus, & accuratius postea constabit. Quare nihil ista Scaligeriana ratio concludit, quæ ex commentitiis vel dubiis certè principijs deducitur.

Proximum huic exemplum est ejusmodi. Anno Christi vulgari LXX. Neomenia Nifan fuit Kal. Apr. ut Josephus testatur. Nam quartadecima Nifan conveniebat cum quartadecima mensis Juliani. Erat annus primus sextæ Periodi contractum; Tifri VI. Sept. feria IV, Cyclo solari XXI. At verò translata est ejus Neomenia in feriam quintam. Nam Neomenia Nifan in feriam primam incurrit: Aprilis Kal. anni Christi LXX. Cyclo solari XXI, quæ in VII. incidisset, si Neomenia Tifri in feriam quartam congrueret. Totum hoc argumentum Josephi auctoritate nititur, siquidem asserat ille Neomeniam Nifan Cal. Apr. illo anno convenisse. Atqui nihil tale Josephus significat. Hæc enim ipsius verba sunt ex V. libro. cap. XI. *ἡμέρας* τῆς ἑβδόμης ἐπέστη ἡμεῶς, πρὸς ἀποστασιν αὐτῆς ἑβδομῆς μιλῶν: ἢ ἡ δεκάτη Ἰουδαίου τὸν πρῶτον ἀπὸ ἀρχῆς αὐτῆς καὶ τὸν ἀπὸ τῆς ἑβδόμης Ἰουδαίου τὸν πρῶτον καὶ τὸν ἀπὸ τῆς ἑβδόμης Ἰουδαίου τὸν πρῶτον καὶ τὸν ἀπὸ τῆς ἑβδόμης Ἰουδαίου τὸν πρῶτον. Instante die azygiorum XIV. Xanthici mensis, quo die primum Judæi videntur ab Ægyptiorum servitute liberati. Scaliger Xanthicum arbitratu hoc loco eundem esse cum Aprili Juliano; in quo Rufinum habet adluplatorem, qui Aprilis reddidit. Verum Xanthicus hoc loco, non Julianus mensis est, sed lunaris, sive Nifan Judaicus; quemadmodum Josepho familiare est, qui sæpè Pascha celebrari dicit XIV. die Xanthici, non utique Aprilis, sed Nifan. Lib. I. Orig. cap. X. τῆς ἑβδόμης τῆς ἑβδόμης Ἰουδαίου τὸν πρῶτον καὶ τὸν ἀπὸ τῆς ἑβδόμης Ἰουδαίου τὸν πρῶτον καὶ τὸν ἀπὸ τῆς ἑβδόμης Ἰουδαίου τὸν πρῶτον. &c. Mense vero Xanthico, quem Nifan appellamus, estque anni caput, XIV. Luna, Sole in Ariete orientante. Pascha celebrari scribit, quod & cap. IX. de mense ipso dixerat, idque alibi passim repetit. Unde & illo loco Xanthicus nullus alius est, quàm Nifan. Ac si Xanthici nomine Julianos menses

